

Legat initium lib. 6. Archidoxorum Paracelsi, quisquis velit, tam magisterii in genere, quàm in specie, magisterii aurei naturam, tum quomodo Paracelsus Crollio contradicat, & nobiscum omni ex parte faciat, rectè cognoscere.

Hæc tamen licet non aliter sese quàm quomodo dixi habeant, objici nihilominus potest, neque in magisteriis, exaltari isthæc corpora, sed qualitates omnes, omnemque agendi efficaciam, solis menstruis additis venire ascribendam.

Quòd si hoc inquam verum est, quì fit, quòd unum idemque menstruum cum diversis corporibus conjunctum non habeat tamen easdem qualitates, & proprietates, exemplis ad eam rem utar manifestissimis.

Quæro quare spiritus aceti, cum Ψ conjunctus, Saccharinam dulcedinem præ se ferat, cum coralliis saporem amarum & minimè dulcem?

Quare Spiritus nitri cum Luna conjunctus ardeat, mercurio cò verò concorporatus sustineat ignis etiam vehementissimi examen?

Quare cum eadem Luna spiritus nitri hydragogum cum mercurio Diaphoreticum utrumq; certè, efficacissimum præbeat? Quare una eadèq; aqua regia, cum tartaro fulminare faciat, mars minimè? Nisi fallor, hæ proprietates suo quæque magisterio, quatenus tali non soli præcisè menstruo, erunt acceptæ referendæ?

Porrò in secundo syllogismo Crollii, quisquis majorè propositionè nolit simpliciter admittere, cū eo non multùm ego litigavero, certè præterquòd in omnibus magisteriis, uti ex supradictis loquitur, corpora integra, & per consequens cruda & indecocta subsistant, etiam in ipsis pharma-